

LVNÆ DIE 14 M. DECEMBRIS A. 2009

A.d. XIX Kal. Ianuarias a. MMX

I 53

M E L I S S A



**FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA**

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ

SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIX  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.

Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://web.me.com/fundatiomelissa>

Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P701451



## ORIGINALIS PECCATI GENETICA EXPLICATIO

Sub hoc singulari titulo anno 2009 liber in lucem Seditus est Francogallice et Anglice, auctore Christiano de Duve.<sup>1</sup> Qui vir, nunc iam 92 annos natus, cum medicinæ tum chemiæ in Universitate Catholica Lovaniensi studuit; professor et indagator factus est in eadem universitate necnon Neoeboraci in universitate a *Rockefeller* nominata. Ob inventa ad cellulæ structuram spectantia præmio Nobeliano honestatus est anno 1974.

Sub libri titulo additum est « De præteriti pondere in vitæ futurum », quo dilucide prænuntiatur auctorem traditam vitæ notitiam cum recentioribus scientiarum naturalium inventis componere velle.

« Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum ad vescendum et pulchrum oculis, aspectuque delectabile; et tulit de fructu illius, et comedit, deditque viro suo, qui comedit. » (*Gen.*, 3, 6).

Sacri scriptores, ait auctor, qui hunc celeberrimum mythum finxerunt, præter poeticam imaginationem, magnam perspicacitatem habuerunt, cum vitium originale in natura humana detexissent et pro certo habuissent redemptionem necessariam fore ad genus humanum servandum. Scientia moderna, etsi monstravit hæc narrata impossibilia esse, non negat sacros scriptores veri visionem habuisse. Humanum enim genus patitur præcipuum vitium, quo denique ad perniciem ducetur; noxia tamen non est Eva, sed selectio naturalis. Sola spes ponenda est in redemptore; de cælo tamen venire non potest, sed solum de ipso genere humano. Nimis frequentes facti sumus in Terra, unde veniunt mala hodierna et maiora in futuro expectanda; nulla superest spes, nisi hominum frequentiam contrahere valemus: hoc iam proclamatur in operis præmio.

Auctor putat maximi momenti esse singulos nostrum et præcipue eos, qui aliquo modo gubernationem participant, bene cognoscere naturam et historiam vitæ, qualis his novissimis decenniis detecta est. Liber consulto simplicibus verbis conscriptus est, ut quam plurimis lectoribus esset intellegibilis.

Non inutile mihi visum est de hoc libro nonnulla decerpere, quæ pendantur.

¶ Quid est vita?

Hæc est quæstio naturalis et philosophica iam ab Antiquitate posita eademque maxima post illam alteram: « Quis est Deus? ».

Usque ad recentiora tempora, vitæ mechanismi explicabantur « principio vitali », quod non est explicatio, sed solum verbum. Præterea homo habebatur ab animalibus funditus differens ac viventium genera

putabantur omni ævo existisse immutabilia.

Duodevicesimo sæculo nascitur scientia geologiæ, qua monstratur Terram historiam habere et constare e stratis eo vetustioribus quo profundioribus. In his stratis inveniuntur reliquiæ animalium omnino ignotorum atque eo magis simplicium, quo vetustius est stratum. Ad hoc explicandum tunc orta est theoria « transformismi », auctoribus Iohanne-Baptista de Lamarck (1744-1829) in Francogallia et simul Erasmo Darwin (1731-1802), Caroli avo, in Magna Britannia. Initio a plurimis doctis vehementer negata, hæc theoria postea tam firmiter comprobata est, ut nunc sit factum apud scientificos non controversum.

Undevicesimo sæculo, ope microscopii, oritur theoria cellularis, secundum quam telæ omnium vegetaliū et animalium constant e minimis cellulis. Hæc theoria quoque brevi comprobatur.

Vicesimo sæculo in cellulis invenitur nucleus et in nucleo chromosomata, quæ demonstrantur magni momenti esse in hereditate.

Intra sexaginta circiter novissimos annos ab indagatoribus, inter quos Christianus de Duve, incredibilia inventa facta sunt. Cellularum tenuissimæ structuræ detectæ sunt, necnon earum operandi modi. Hereditatis mechanismi, tam diu occulti, nunc sunt plane explicati; intricatissimæ contortæque chromosomatum duplices spiræ accurate investigatæ sunt et, res mira, earum « lingua genetica » eadem est in universo viventium orbe. Scimus nunc omnia ventia, sint animalia aut vegetalia, ad eandem magnam familiam pertinere, cuius stirps unica orta est ante amplius 3,5 miliarda annorum. Æquales Caroli Darwin horrescebant, cum audirent se originem a simiis trahere; quid de popularibus nostris, qui audiunt se ad eandem familiam pertinere ac vermes et algæ!

Ad hanc portentosam notionem accipiendam, oportet bene intellegere quid sit lingua genetica. Chromosomatis spira constat e duabus arte complexis moleculis ADN (Acidum DesoxyriboNucleicum) (Angl. DNA: *DesoxyriboNucleic Acid*), quæ sunt longissimæ et contortæ. Ipsæ ADN moleculæ sunt series quattuor tantum simplorum, quæ notantur A, G, C et T. Hæc quattuor simpla sunt « litteræ » alphabeti genetici, quarum ordo et sequentia in serie faciunt « vocabula »; pauciores ergo sunt litteræ quam in nostro alphabeto, sed vocabula multo longiora; eorum informandi facultas multo maior est, quam ea nostrorum lexicorum. Genoma humanum, i.e. totum chromosomatum, habet circiter tria miliarda litterarum, quæ æquant amplius centum nostra lexica.

Ergo ADN chromosomatum est sedes informationis

necessariæ ad totum corpus fingendum ; ad prolem transmittitur immutatum. Series moleculæ ADN dividitur in milia sequentiarum, quarum singulæ propriam actionem habent et quibus nomen datur « genus ».

¶ Quomodo operatur ADN, quod integrum manet in nucleo ?

Per nuntium vocatum ARN (Acidum Ribo-Nucleicum) (Angl. RNA *RiboNucleic Acid*), quod est molecula eiusdem generis ac ADN et ex eisdem simplis constans præter T, in cuius loco ponitur U, non multum vero differens. Formatur in nucleo iuxta ADN, cuius capit informationem ; hæc operatio vocatur « transcriptio ».

ARN deinde migrat in reliquam cellulam, i.e. cytoplasmum, quo genorum informationes transfert ad proteinorum fabricationem regendam. Proteina, materia omnium telarum, sunt longæ moleculæ e viginti tantum simplis constantes, quæ vocantur « acida aminata » ; earum fabricatio vocatur « translatio », quia ARN acidorum aminorum dispositionem in molecula proteini dictat ope lexicæ, « codicex geneticus » vocati, qui codex omnino differt a lingua genetica supra citata. Res iterum mira, hic codex geneticus idem est in toto orbe viventium.

Omnia gena non sunt eiusdem ponderis ; exstant enim « supergena », quæ magnum programma regunt, ut morphogenesis (processum, quo singula organa et tota corpora finguntur) ; hic tamen processus intricatissimus adhuc non plane intellegitur, cum pendeat ab occultis signis inter cellulas. Optimum exemplum huiusmodi supergeni est id a doctis *eyeless* vocatum ; inducit enim fictionem completi oculi ; si inicitur muscæ *Drosophilæ*, oculus *Drosophilæ* fingitur loco iniectiois, sed si idem supergenum muri inicitur, oculus muris loco iniectiois fingitur ! Longe ergo abest ut sciamus quomodo ex ovo fecundato nascatur hoc portentosum miraculum, quod est infans, nec fortasse hoc umquam sciemus, cum terribiliter intricata sint programmata genetica, sed iam multum est processum generalem intellexisse.

Talis est hereditatis mechanismus, ut prolis chromosomata exacte eadem sint ac ea parentum. Fortuito tamen, quamquam raro, accidit ut aliquid mutetur in quodam prolis chromosomate, unde oritur mutatio sive in forma, sive in organorum functione. Inter has fortuitas mutationes homines iam ab Antiquitate seligunt eas sibi utiles ut novas plantarum vel animalium species creent. Carolus autem Darwin in vita fera observavit has mutationes naturaliter seligi, quæ certis circumiectis faciunt animalia ad vivendum aptiora ; hoc

modo species gradatim mutantur. E propriis observationibus Darwin regulam generalem deduxit : tota viventium evolutio est effectus selectionis naturalis.

Veritas selectionis naturalis negari non potest ; exempla enim hodierna habemus præsertim in microbiis, quæ fiunt antibioticis resistentia. Cum microbia alicuius generis quodam antibiotico necantur, non omnia necantur ; supersunt enim nonnulla, quæ propter fortuitam mutationem geneticam antibiotico resistere valent ; supersticia crescunt, multiplicantur et fiunt nova species. Selectio naturalis hodie agnoscitur ut præcipuus mechanismus evolutionis.

¶ His omnibus conspectis, quid est homo ?

Auctor autumat hominem, ut cetera viventia, magnam partem genitum esse selectione naturali. Nostra gena adsunt, quia decursu evolutionis profuerunt perennitati et procreationi suorum possessorum. Eorum 98,5 % apud simium *chimpanze* adsunt ; parvum igitur reliquum 1,5 % facit differentiam inter *chimpanze* et hominem. Nihil autem impedire videtur, quin processus hominizationis permaneat ; aliquando fortasse nascentur « superhomines » nobis multo intelligentiores, qui propius accedent ad « ultimam veritatem », quam celant phænomena nobis solum accessibilia.

Ante circiter 7 miliones annorum evenit aliquid stupendum et fortasse maxime extraordinarium in tota vitæ historia : hominum stemma tunc separatur a trunco, qui adhuc communis est cum simiorum stemmate, atque inusitata celeritate progressus facit. Solum 2 ad 3 miliones annorum necessarij sunt ut cerebri capacitas a 350 cc. <sup>2</sup> augeatur ad 1.350 cc. et neuronum (i.e. cerebri cellularum) numerus a 25 miliardis usque 100 miliarda ; intra idem tempus neuronum inter se conexiones quadruplices factæ sunt, i.e. milio miliardorum !

Eodem tempore crescit cortex cerebri, i.e. lamina duorum millimetrorum, quæ totum cerebrum obducit atque e sex neuronum stratis constat ; ibi fit ille milio miliardorum conexionum. Quomodo operetur hæc machina, quæ cogitationes gignit, omnino occultum est ; ibi est sedes conscientiæ, quæ obiective definiri non potest ; est phænomenon plane subiectivum. Affirmare licet inter omnia miracula mundi maxime extraordinarium esse hominis cerebrum.

Intra 7 miliones annorum progressus in hominis stemmate facti sunt per gradus, quorum præcipui vocantur Homo habilis, Homo ergaster, Homo erectus, Homo Heidelbergensis, Homo Neanderthalensis et hodiernus Homo sapiens (etiam Cro-Magnon vocatus). Causa extinctionis omnium, qui fuerunt ante Hominem sapientem, est repulsa, verisimiliter eiusdem

generis ac ea simiorum anthropoidorum, quorum vitale spatium in dies coartatur ab Homine sapienti.

Contra successus Hominis sapientis videtur esse sine fine, sed timendum est ne pereat propter hunc ipsum successum. Hominum numerus in toto orbe terrarum erat circiter semimiliardum circa annum 1600, miliardum circa 1800, 2 miliarda circa 1930, 4 miliarda circa 1970 et hodie est 6,5 miliarda; nisi quid mutatur, erit amplius 9 miliarda anno 2050! Hoc exponentiale incrementum, ut iam ineunte undevicesimo sæculo prædixerat Thomas Malthus, limitatur spatio et opibus Terræ.

Hoc imminenti periculo noxiam Christianus de Duve designat selectionem naturalem, quæ, ut solet, in genis nostris selegit id quod saluti et multiplicationi hominis favebat; de futuro tamen curare non poterat.

¶ Unde venire potest redemptio huius peccati originalis?

Non omnes facultates nostræ sunt in genis; scientia enim neurobiologica nos docet nonnullas inter maioris momenti facultates esse « epigeneticas », id est decursu vitæ acquiri impulsu circumiectorum. Cortex cerebri nostri optimum exemplum præbet huius rei. Ibi, ut supra dictum est, fit milio miliardorum coniunctionum neuronorum; cum in genomate humano tantum sint tria miliarda litterarum, fieri non potest ut genoma tantam coniunctionum frequentiam regat. Re vera neurones, dum crescunt, quocumque productiones mittunt; hæ productiones, inter se fortuito convenientes, faciunt conexiones, quæ sunt labiles, nisi adhibentur; sed, si quidam stimulus aliquam conexione frequenter transit, ea fit stabilis synapsis (i.e. conexio fixa). Exstat quædam similitudo inter hunc mechanismum, qui ad corticis maturitatem ducit, et selectionem Darwinianam; fortuito enim præbentur multæ conexiones possibiles, inter quas pauciores seliguntur usu.

Hic processus epigeneticus est maximi momenti. Cortex humanus magnam partem formatur stimulis in pueritia acceptis, sed non desinit formari per totam vitam educatione, tirocinio et exercitatione. Ergo corticis formatio non pendet a cæca selectione naturali; contra eam agere possumus, si volumus; tempus est agendi: quocumque clamandum est summam quæstionem esse nimiam hominum frequentiam.

Ethica diu fuit provincia religionibus reservata atque adhuc magnam partem nititur principiis religionis aut philosophicis; inde oriuntur controversiæ de homosexualitate, abortu, euthanasia, investigationibus in cellulis primordialibus et aliis. Etiam tamen exstat ethica scientiæ, i.e. respectus veritatis. Quæstiones ad

vitæ condiciones in Terra spectantes scientificè demonstrantur; quid ergo facere debemus ad Terram servandam? Oportet de hac quæstione religiones cogitent, sed timendum est ne malint hypotheticam vitam futuram curare, quam Terræ futurum. Si, ait Christianus de Duve, contradictio oritur inter ea, quæ scientia scit, et ea, quæ religio credit, compromissum impossibile est: religio cedere debet.

Auctor docet natalitatem<sup>3</sup> omni modo minuendam esse. Insanam esse condemnationem innoxie contraceptionis,<sup>4</sup> quam mense Octobri a. 2008 palam iteravit papa Benedictus XVI. Neque condemnandam esse interruptionem voluntariam graviditatis, neque eius formam præventivam, « pilulam posteriori diei » vocatam. Neque condemnandos esse eos vel eas, quas natura ad homosexualitatem inclinat; eos enim esse steriles. Ecclesiam catholicam adhuc regi rigida hierarchia clericali, cui maiori curæ sunt subtilia dogmatis puncta vel secundariæ habitus sexualis minutiae, quam veræ gentis humani difficultates. Christianus de Duve concludit dicens pecuniariis fiscalibusque modis favendum esse deminutioni natalitatis et puniendos esse eos, qui iussa non respiciant.

¶ Huic auctoris conclusioni facere non possum quin assentiar. Assentior quoque cum auctor dicit scientiam niti hypothesi, secundum quam omnia sunt naturaliter explicabilia; sit verum an falsum, quomodo hoc inveniamus nisi conemur omnia naturaliter explicare?

Tantæ adhuc supersunt umbræ in scientia vitæ, ut decernere mihi videatur impossibile. Cum in graphæo ante ordinatum sedeo, non raro procax musca me lacescit. Dum eam admiror hic illic se sollertissime ponentem, cogito hoc intelligentiæ miraculum et cetera alia solum a forte et selectione naturali gigni non posse... ❧

Gaius LICOPPE

1. Christian de Duve, *Génétiq̄ue du péché originel. Le poids du passé sur l'avenir de la vie*, Parisiis, Odile Jacob, 2009.

2. cc.: centimetra cubica.

3. Natalitas: ratio inter numerum nativitatum et frequentiam populi.

B. Zlotnicki, *Lexicon Medicum*, Varsaviæ, 1971, p. 784.

4. Contraceptio: impedita infantis conceptio. B. Zlotnicki, *Lexicon Medicum*, Varsaviæ, 1971, p. 222.

## NOX NATALICIA

– auctore Vidone de Maupassant, interprete Francisca Deraedt –

Tempore Natalicio multæ narrari solent fabulæ, in quibus non solum agitur de nativitate infantis Iesu, sed etiam de hieme, nive, frigoribus, de pauperibus hominibus, de vitiis corrigendis, de rebus sive lætis sive tristibus, sæpe tamen dulcibus, quas pueri et adulti apud ignem foci libenter auscultant poculum sorbillantes. In mentem veniunt Iohannis Christiani Andersen *Parva sapinus*, *Puellula cum ramentis flammiferis* aut *Homunculus nivalis*, Alphonsi Daudet *Tres missæ recitatæ*, Caroli Dickens *Carmen Natalicium*, multa alia.

Vido autem sive Guy de Maupassant (1850-1893), qua erat sempiterna melancholia, non potuit lectoribus occasione festi Natalicii offerre blandam fabulam. Eius *Nox Natalicia*<sup>1</sup> est atra, tenebrosa, mæsta, trux, funesta. Non agitur de sollemnitate christiana, sed de eius paganis radicibus, de Saturnalibus. Nulla virtus hic elata, contra, homines cupidinibus propriisque utilitatibus moventur. Infans nascitur : est calamitas. Nullus conexus proponitur inter hunc partum et festum Nativitatis eadem nocte celebratum. Neque enim spes neque fides est in vita : hoc videtur auctor proclamare.

\*\*\*

« Festum Natalicium ! Festum Natalicium ! Id non celebrabo ! »

Crassus Henricus Templier iracunde clamabat, tamquam si proponeretur facinus indignum.

Ceteri riserunt : « At curnam stomacharis ? »

Ille autem : « Quia, ait, festo Natalicio ita pessime delusus sum, ut ab ista stulta nocte ineptæ lætitiæ dedita abhorream omnino. »

« Quid ergo ? »

« Quid ? Scire vultis ? Auscultate. »

« Recordamini quantum fuerit frigus, ante duos annos, hoc tempore ; tam magnum, ut pauperes in via perirent. Sequana erat gelatus ; crepidinum glacies pedes urebat per calceos ; totus orbis videbatur moribundus.

Magnum opus incohaveram atque omnes festivas invitationes recusavi, malens ad mensam scriptoriam sedere. Solus cenavi ; postea laborare incepi. At ecce, decima fere hora, cogitatio lætitiæ Parisios invadentis, viarum fremitus ad me tamen perveniens, cenæ apparatus e vicinorum habitatione auditi, hæc omnia me perturbaverunt. Non iam sciebam quid agerem ; nugas conscriberebam ; intellexi deponendam esse spem quicquam boni ea nocte faciendi.

In conclavi paulisper ambulavi. Consedi, iterum

surrexi. Mirum in modum externa lætitia tenebar – itaque cessi.

Ancillam vocavi eique dixi hæc : « Angela, cura obsonium duobus aptum : ostreas, frigidum perdicis pullum, astacos, pernam, placentas. Affer duas lagænas vini campanici. Sterne mensam, et cubitum i. »

Oboedivit, aliquatenus mirabunda. Omnibus paratis, amiculum indui et exii.

Solvenda supererat magna quæstio : quacum epulaturus eram ? Amicæ meæ alibi erant invitatae. Ut unam tenerem, maturius oportuit agere. Tum cogitavi me etiam benefacere posse. Mecum cogitavi : Lutetia plena est pauperibus pulchrisque puellis, quæ cena carent et errant largum quærentes puerum. Esse volo unius ex his miseris Providentia Natalicia. Vagabor, intrabo lupanaria, interrogabo, venabor, eligam ut lubebit.

Et urbem peragravi.

Certe multas puellas inveni occasionem cupientes, at sive tam fœdas ut concoctionem impedirent, sive ita macras ut, si constitissent, stantes congelatæ essent.

Mihi, ut scitis, est studium quoddam : amo feminas saginatas. Quo crassiores sunt, eo magis placent. Mulier collosa me rapit in insaniam.

Tandem, ante theatrum Varietatum, aliquid conspicio mihi gratum. Imprimis caput, postea, in parte antica, duo montes : mons pectoris, pulcherrimi, alter infra, mirus : venter pinguis anseris. Tremui cogitans : Di boni, quam pulchra puella ! Una res manebat inspicienda : facies.

Facies est secunda mensa ; cetera sunt... sunt cenæ fundus.

Festinavi, perveni ad illam feminam errabundam, et, sub aliqua lampade, me protinus converti.

Erat lepida, iuvenis, fuscis capillis, cum magnis oculis nigris.

Rem proposui, statim annuit.

Post quadrantem horæ in habitatione mea sedebamus ad mensam.

Intrans : « Ah, dixit, hic bene vivitur. »

Circum circa spectavit, manifesto gaudens se tam glaciali nocte invenisse mensam et cubile. Magnifica erat, mirabiliter pulchra, et crassa, ut cor meum in æternum exsultaret.

Amiculum exiit et petasum ; consedit, edere cœpit ; at non videbatur bene se habere ; nonnumquam eius facies subpallida turbabatur, tamquam si secreto dolore laboraret.

Eam interrogavi : « Suntne tibi molestiæ ? »

Respondit : « Ah ! Obliviscamur omnia. »

Et incepit potare. Uno spiritu hyalum vini campanici exsiccabat, eundem implebat et iterum exhauriebat,

continuo.

Mox genæ aliquantulum rubuerunt ; ridere cœpit.

Equidem puellam iam amabam plenoque ore basiabam ; videbam eam neque stultam esse, neque vulgarem neque incultam, ut solent esse meretrices. Eam de vita propria amplius interrogavi. Respondit : « Mi puer, hoc ad te non spectat ! »

Eheu ! Una hora post...

Tempus demum venit recumbendi ; dum mensam ante focum instructam amoveo, ipsa vestimenta raptim deposuit seque sub stragulum insinuavit.

Vicini terribilem strepitum faciebant, ridebant, canebant ut furiosi ; ego mecum cogitabam : « Re vera bene feci, quod hanc puellam arcessivi ; nam numquam potuissem laborare. »

Magnus gemitus me revocavit. Interrogavi : « Quid fit, passercula ? » Ea non respondit, sed perrexit edere suspiria lugubria, quasi vehementer doleret.

Iterum rogavi : « Ægrotasne ? »

Et subito clamorem emisit, terribilem clamorem. Irrui, candelam in manu tenens.

Eius vultus erat dolore deformatus, manus torquebat, anhelans, ex imo gutture graves gemitus emittens, singultibus similes, quibus cor deficeret.

Consternatus rogavi : « Quidnam tibi accidit ? Dic, quid accidit ? »

Non respondit, sed clamare incepit.

Subito vicini tacuerunt attenderuntque, quid apud me fieret.

Iterum dicebam : « Qua re laboras, dic mihi, qua re laboras ? »

Balbutivit : « Oh ! Ventre ! Ventre ! »

Sublato stragulo, conspexi...

Pariebat, amici.

Tum factus sum insanus : me ad parietem præcipitavi, cui pugnos imegi, totis viribus, vociferans : « Succurrite ! Succurrite ! »

Ianua aperta est ; turba irruit, viri iacca vestiti, mulieres pæne expapillatæ, Pantomimi, Turci, Equites. Hæc invasio me tantum deterruit, ut ne verba quidem facere valerem.

Illi autem putaverant aliquid accidisse, scelus fortasse, nec iam quicquam intellegebant.

Tandem dixi : « Hæc... hæc... hæc femina parit. »

Omnes tum eam inspexerunt, sententiam dixerunt. Capucinus quidam asseverabat se rei peritum esse, naturamque iuvare volebat.

Ebrii erant ut asini. Putavi eos mulierem occisuros esse ; et de scalis præceps decurri, nudo capite, veterem medicum e via vicina vocaturus.

Cum medico revertens, totam domum vidi experge-

factam ; lumen in scalis erat accensum ; incolæ omnium tabularum habitationem meam occupabant ; ad mensam quattuor rustici vinum campanicum et reliquos astacos consumebant.



Cum me viderent, ingens clamor profusus est, ac lactaria quædam mihi panno involutum tradidit horribile frustum carnis rugosæ, gementis, maumantis ut cattus ; et dixit ad me : « Est puella. »

Medicus puerperam inspexit, declaravit eius valetudinem esse dubiam, imprimis quod res esset statim post cenam transacta, ac profectus est nuntians se nosocomam et nutricem mox esse missurum.

Quæ duæ mulieres una hora post advenerunt, multis cum medicamentis.

Totam noctem iacebam in sessibulo, nimis perditus quam ut cogitarem de consequentiis.

Mane medicus iterum venit. Ægrota ei visa est satis male se habere.

« Domine, ait, uxor tua... »

Eum interpellavi : « Uxor non est. »

Ille autem : « Tum amica, mea non refert. » Atque enumeravit necessarias curationes, diætam, medicamina.

Quid agerem ? Num hanc miseram ad nosocomium mitterem ? Tota domus, tota vicinia me habuisset pessimum.

Eam domi servavi. In lecto meo mansit sex septimanas.

Quid de infante ? Eam Pinciicum<sup>2</sup> misi ad agricolarum familiam. Omni mense solvo quinquagenos francos. Cum initio solverim, solvere cogor usque ad finem vitæ.

Et postea putabit me esse patrem suum.

Postremo, maxima calamitas : femina, cum consanesceret... me amabat... me perditæ amabat, scelestæ ! »

« Quid tum ? »

« Tum, tam macra facta erat quam cattus erraticus ; foras proieci ista ossa, quæ me in via speculantur, se condunt ut me ambulantes videant, me vespere exeuntem sistunt ut manum basiant, denique me enecant, me redigunt ad insaniam ! »

Ecce causa cur festum Natalicium non iam velim unquam celebrare. » ❧

1. Anno 1882 edita inter novellas sub titulo *Mademoiselle Fifi* collectas.

2. Pinciicum : *Poissy*, oppidum ad Sequanam.

## ARMINII VICTORIA, CLADES CVLTVS CIVILIS?

- scripsit Gaius Licoppe -

Sumne <sup>1</sup> Germanus an Gallus an Romanus? Adhuc nondum videntur exstare probationes geneticæ, quibus curiositati meæ satisfacere possim. Mixticius verisimiliter sum, cum tot gentes variarum stirpium parvam meam regionem Belgicam transierint aut ibi constiterint.

Mihi verba facienda sunt de quodam Arminio, qui proclamatur Germanorum heros. Res mira, non Germani eius memoriam nobis tradiderunt, sed isti Romani, quorum clades hic celebratur. Nonnulla, quæ ab illius viri laudatoribus rarius exhibentur, scitu tamen vere digna, apud auctores antiquos leguntur.

Arminius filius est Sigimeri, Cheruscorum principis. Postquam illa magna Germanica tribus cum Romanis pactionem fecit, ad pacem confirmandam Arminius, decem circiter annos natus, eiusque frater Flavius, Romam mittuntur, ubi una cum aliis barbarorum principum filiis modo Romano educantur in schola, quam Augustus imperator ad eorum usum curavit creandam. Mirus est huius educationis effectus; legimus enim apud Velleium Paterculum hæc: « Tum iuvenis genere nobilis, manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promptus ingenio, nomine Arminius, Sigimeri, principis gentis eius, filius, ardorem animi vultu oculis præferens, adsiduus militiæ nostræ prioris comes, iure etiam civitatis Romanæ decus, equestris consecutus gradus, ... » (*Historia Romana*, II, 118).

Arminius ergo, præfectus alicuius alæ Germanorum auxiliariorum factus, in Germaniam redit atque ibi tam bene militat in Tiberii exercitu, ut in ordinem equestrem recipiatur, summum gradum, ad quem barbaris tunc temporis accedere liceat.

Anno 7 p.Ch.n. Publius Quintilius Varus ab Augusto imperatore mittitur in hanc Germaniæ partem ultra Rhenum sitam, quam Romani in dicionem suam paulo ante redegerunt; Arminius tunc eius fidem sibi præstruit, sed eodem tempore pacatas Germanicas tribus clanculum excitat ad rebellandum. Seniores tamen Germanorum principes huic consilio non assentiuntur. Insuper unus ex eis, Cheruscus Segestes, Arminium odit, qui filiam Thusneldam alteri iam desponsam rapuerit.

Varus videtur Germanicas tribus imprudenter administrare, quæ nimis feræ sunt, quam ut ius Romanum et vectigalia statim accipiant. Inde fit ut Arminii hortationes secundis auribus audiantur. Varus autem, cum castra æstiva, media in Germania sita, relinquere statuit, ut ad Rhenum hiemet, quamquam de Arminii coniuratione a Segeste certior factus, ei confidere pergit, incaute.

Varus in bello gerendo non excellit. Itaque insidias, in quas perfide ducitur, non valet detegere; Arminius contra, qui Romanorum rem militarem diligenter observavit, ad eorum modum feras copias suas instruit. Sic fit ut in saltu Teutoburgensi tres legiones ad interfectionem cædantur, ipseque Varus gladio se occidat. Decetne re vera de talibus rebus gestis gloriari?

Præterea, estne tunc Germania liberata? A Romanis certe, qui ultra Rhenum solum redeunt ad ulciscendam cladem Varianam, sed ibi iam non manent. Germani tamen non liberantur a prava consuetudine inter se bellandi. Mox enim Arminius Chattis bellum infert, postea Marcomanorum regi, Maroboduo, qui etiam Romæ educatus est et Romanis favet. Maroboduo victo, paulo post ipse Arminius trucidatur a suis.

Insuper, si societatis humanæ progressum consideramus, clades Variana potius fuit clades Germanica. Nam in Germania Romana crescent et floreant urbes, ut Colonia Claudia (Ara Agrippinensium), Mogontiacum, Confluentes, Augusta Treverorum, Augusta Vindelicum, atque ædificabuntur magnificæ villæ, ut in Mosellæ valle; contra, in « liberata » Germania amplius mille annos exspectandum est, antequam appareat cultus urbanus.

Arminii nomen permulta sæcula iacet ignotum in bibliothecarum pulvere. Lutherus id resuscitat, qui in pugna sua contra papalem Romam quærat allegoricum antistitem. Arminium dicit esse formam Latinam Germanici prænominis « Hermann »; huic rei non assentiuntur omnes hodierni viri docti, sed locus hic non est de his disputationibus referendi.

Lutheri æqualis fautorque, Udalricus de Hutten, conscribit, Romanorum lingua, librum c.t. *Arminius*,<sup>2</sup> in quo non dubitat eum comparare cum Alexandro Magno, Scipione Africano vel Hannibale. Hutten tribunal fingit, ubi ad ius dicendum sedet Minos, iustissimus Inferorum iudex. Eum adit Arminius querens, quod non numeretur inter optimos imperatores; ei Hutten præbet hæc verba: « Solus in nullo ergo habitus sum numero, qui tamen, si certandum mihi cum illis umquam putavissem, equidem in nullo posuerim dubio, quin, te iudice, principem locum obtinuissem. »

Minos Mercurio mandat, ut supradictos imperatores ad tribunal accersat, quibuscum fiat disputatio. Convocatur etiam Tacitus, a quo Arminius postulat ut ea verba repetat, quæ de se in *Historiis* scripsit, hæc scilicet: « ... liberator haud dubie Germaniæ, et qui non primordia populi Romani, sicut alii reges ducesque, sed florentissimum imperium laccessierit, proeliis ambiguus, bello non victus. » Postquam diu



comparantur singulorum merita resque gestæ, tum Arminius : « Ipse, ait, nihil motus vero, constantissime cœptis institi, neque aliquid prius habui, quam fas patriæ, et avitum Germaniæ decus ». Minus litem concludit his verbis : « Quia vero fuisti liberator Germaniæ, et bello pro libertate suscepto invictum omnes confitentur, neque ibi vel periculi plus exhausit quisquam, vel commodi in publicum assecutus est, placet cum Brutis ponere te, et inter patriæ libertatis vindices, primo loco. »

Hutten, primus præco Germanici nationalismi, opus concludit his verbis : « Proinde auctum honore decet esse te, Germane, neque nos tuarum virtutum fas est umquam fieri immemores. »

Lutherus ergo fundamenta iecit nationalismi Germanici. Inter historicos constat nationalismum, ut vigeat, egere hoste ; hostis erat papa et ecclesia Romana.

Sacrum tamen Romanum Imperium Nationis Germanicæ, cui præerat stirps Habsburgorum, tunc divisum est inter Lutheri et Calvinii fautores ex una parte atque eos ex altera parte, qui doctrinæ catholicæ Romanæ fideles manserant ; inde orta sunt sæva diuturnaque bella intestina, quibus finem imposuit fœdus Vestfalianum, anno 1648 pactum. Quod re vera non favebat ortui alicuius nationis Germanicæ, cum imperium in trecentos et quinquaginta principatus, singulos sui iuris, divideretur atque etiam maneret divisio et odium inter reformatos atque catholicos.

Bella Napoleonis exspectanda sunt, ut resurgat in Germania sensus nationalis. Anno 1808, Henricus de Kleist conscribit *Die Hermannsslacht*, quo opere Arminium in lucem reducit. Nationalismus Germanicus tunc expergefieri potest, nam hostem invenit, Napoleonem. Sic fit ut ab anno 1839 ingens Arminii statua in saltu Teutoburgensi exstrui cœpta sit.

Napoleone devicto, in Germania crescere non desinit regni Borussici potestas, cuius ab anno 1863 habenas tenet princeps Otto de Bismarck. Qui magnam operam dat non solum ad confœderandas diversas regiones Germanicas, sed etiam ad identitatem Germanicam creandam. In hoc consilio Arminius iterum adhibetur ut heros Germanorum et anno 1875 eius aenea statua, tandem perfecta, sollempniter inauguratur.

Undevicesimo sæculo, nationalismus « romanticus », qui dicitur, non in sola Germania floret. In Francogallia initium iam habuit tempore eversionis

Veteris Regiminis ; eversores enim regiam domum Capetianam repudiant, cum sit stirpis Germanicæ, ac gloriantur se esse veros Gallos. Tunc hostis est internus, ipsum scilicet regimen regale ; mox erit externus, primum regia domus Habsburgorum, postea Borussia.

Usque ad undevicesimum sæculum historici in Francogalliæ originibus nullam Gallorum mentionem fecerunt. Anno demum 1828 Amadeus Thierry librum divulgat, c.t. *Gallorum historia a remotissimis temporibus* ;<sup>3</sup> hic liber eius popularibus plurimum placet, quod ibi non solum atavos Gallos inveniunt, sed etiam eorum ducem Vercingetorigem. Is, cum contra invadentem Cæsarem fortissime pugnavisset, mox heros nationis Francogallicæ proclamatus est.

Res mira, verum nomen huius herois ignotum est ; philologi enim iam diu demonstraverunt « Vercingetorix » titulum esse compluribus Gallorum ducibus tributum, quo significatur « Maximus bellatorum rex ». Hoc non impedivit, quin Napoleo Tertius anno 1866 aeneam Vercingetorigis statuam septem metra altam inauguraret, suis ipsius sumptibus conflata, et positam in oppido, quod ipse Alesiam fuisse decrevit. In statuæ basi legitur hoc : « Gallia unita, una natio facta, una voluntate mota, totum Universum provocare valet. »<sup>4</sup>

Ab anno 1870 usque ad medium vicesimum sæculum antiqui Galli magis magisque celebrantur, omissa Germanica Francorum tribu, quæ non solum Galliam ad fastigium potentiæ duxit tempore Caroli Magni, sed ei etiam nomen dedit. Hæc « Celtolatria » in scholis ita studiose docebatur, ut etiam Romanorum cultus conspueretur. Optimum exemplum præbetur in historiæ enchiridio anno 1903 Parisiis edito, auctore sacerdote Gagnol, ubi leguntur hæc :

« Ne pergamus credere Romanorum dominationem Gallis profuisse. Non fuit res felix. Gallicus enim populus, fortis, generosus, gloriosus, facetus, ingeniosus, industrius, Romanorum cultu non egebat et sibi ipsi sufficere perbene poterat. Præterea, mox venturus erat christianismus, qui eorum animos aliquatenus feros domuisset molliuissetque (...). Hoc modo Galli cultum genuinum et serium habuissent, loco cultus exotici et fugacis, quem pensaverunt ereptis thesauris et effuso sanguine innumerabilium popularium. »<sup>5</sup>

Etiam parvam Belgicam meam corripuit febris nationalismi romantici. Cum anno 1831 sui iuris facta esset, oportuit radices historicas novi regni Belgici exquirere. In Cæsaris autem commentariis *de Bello Gallico* apparent nomina nonnullorum barbarorum ducum, quibuscum ei in Belgica regione præliandum fuit. Eorum

præcipuus, tribus Eburonum dux, in textu vocatur Ambiorix ; hic iterum non agitur de vero nomine, sed de titulo, quo Celtice significatur « duplex rex ».

Iste Ambiorix nihilominus factus est primus Belgarum heros, qui extraneæ tyrannidi fortiter repugnasset. Ei tamen quoque bene conveniunt hæc Velleii Patreculi verba de Germanis : « At illi, quod nisi expertus vix credat, in summa feritate versutissimi natumque mendacio genus... ».<sup>6</sup> Nam mendacio quoque et versutia Ambiorix potuit Cæsaris legatos Q. Titurium Sabinum et L. Aurunculeium Cottam cum militibus ex hibernis attrahere et in letalet insidias ducere ; refert enim Cæsar colloquium Ambiorigis cum Titurio Sabino : « monere, orare Titurium pro hospitio, ut suæ ac militum saluti consulat. (...) Illud se polliceri et iure iurando confirmare, tutum iter per fines daturum ».<sup>7</sup>

Anno 1859 aenea Ambiorigis statua sollemniter inauguratur ab ipso rege Leopoldo II in platea urbis *Tongerren*, olim a Romanis condita et *Atuatuca Tungrorum* tunc vocata ; hæc enim urbs sita est in regione, quam Eburones incolebant antequam Cæsar ultor eos exterminavit.

Cum ego, annis quadragesimis vicesimi sæculi, scholam frequentarem, nostra historiæ enchiridia discipulos docebam obtusum nationalismum ; in meo, anno 1943 edito, leguntur inter alia hæc : « Anno 50, ferro et igne, expugnatio (Belgicæ) perfecta est. Belgæ, quorum complures gentes exterminatæ sunt, in Imperio Romano inclusi, per quattuor sæcula semis occupationem passi sunt, cuius effectus fuerunt ingentes. »<sup>8</sup>

Etiam Angli, qui ipsi Britones ex Britannica insula expulerunt, Britonem reginam Boudiccam non dubitaverunt nationalem heroidem proclamare, cum ea etiam contra Romanos rebellavisset. Quamquam Boudicca funditus delevit Londinium, Londinii in Tamesis ripa anno 1902 posita est statua Boudiccæ in curru stantis.

Nationalismus modernus in Francogallia ortus est, cum, everso Vetere Regimine obruncatoque rege, aliquid inveniendum esset ad servandam Francogalliæ cohærentiam. Abstracta notio, « natio » vocata, fons facta est omnium potestatum, loco iuris divini, quod erat fundamentum regalis potestatis. Communis tamen lingua visa est necessarium vinculum huiusmodi nationis.

Durior et superbus gradatim factus est nationalismus, qui nationis bonum anteponeret non solum privato, sed etiam ceterarum nationum bono. Bene recordamur ad quas terribiles clades Europæas gentes duxerint isti fautores nationalismi romantici.

Primo conspectu nationalismus tendere videtur ad homines liberandos, sed statim ac alicuius nationis fines definiuntur, et quidem sæpe modo arbitrario, incohantur vexationes erga pauciores incolas, qui ut nationis participes non agnoscuntur præcipue linguæ aut religionis aut stirpis causa.

Etsi longe abest ut nationalismi hodie exstinguantur, Europææ civitates meliorem viam tandem ingressæ sunt. In Unione Europæa, exempli gratia Gadibus vel Athenis Ratisbonam libere petere licet, ut olim fiebat, tempore imperii Romani.

Magis quam dubia stirps aut ficta natio, respiciendus est et servandus in utraque ripa oceani Atlantici noster præstantissimus cultus Europæus. Dulce et decorum pro patria mori, canebat poeta ; dulcius tamen vivere humanum cultum fovendo. Lingua Latina tradita columna est huius cultus civilis. Nolumus ergo eam neglegere, ne perdamus animam nostram.

Sit Academia vivi sermonis Latini sanctuarium, hoc est in votis ! Dixi. ❧

1. Acroasis facta inter conventum Academiae Latinitatis Fovendæ Ratisbonæ habitum, « Ad fines imperii Romani. Anno bismillesimo cladis Varianæ », 15-19 Sept. 2009.

2. Anno 1519 / 1529 (editio posthuma). Hac editione usus sum : Edmond Thion, *Arminius par Ulrich de Hutten*, traduit en français pour la première fois. Texte latin en regard, Paris, Isidore Liseux, 1877.

3. *Histoire des Gaulois depuis les temps les plus reculés jusqu'à l'entière soumission de la Gaule à la domination romaine.*

4. Francogallice : « La Gaule unie / Formant une seule nation / Animée d'un même esprit / Peut défier l'Univers ».

5. Abbé P. Gagnol, *Le Moyen-Âge*, Paris, Librairie Vve Poussielgue, 1903, p. 15 : « On peut se dispenser de voir dans la conquête romaine un événement heureux pour les Gaulois. Ce peuple vaillant, généreux, fier, spirituel, industriel, n'avait que faire de la civilisation romaine, et pouvait parfaitement se suffire à lui-même. Et puis, le christianisme allait venir ; il aurait dompté, assoupli ces caractères encore un peu sauvages (...). Et les Gaulois auraient eu une civilisation indigène, sérieuse, au lieu d'une civilisation exotique, éphémère, payée de leurs trésors et du sang d'une foule incalculable de braves ».

6. *Historia Romana*, II, 118.

7. *De Bello Gallico*, V, 27.

8. L. Willaert S.J., *Histoire de Belgique*, Tournai-Paris, Casterman, 1943, p. 21 : « L'an 50, par le fer et le feu, la conquête était terminée. Les Belges, dont plusieurs peuplades avaient été exterminées, annexés au territoire de Rome, subirent pendant quatre siècles et demi une occupation dont les conséquences furent immenses. » Cf. etiam C. Leclère, *Histoire romaine*, Tournai-Paris, Casterman, 1941 p. 141 : « Varus, personnage qui s'était signalé par une répression violente des Juifs, périt avec ses légions dans une bataille que lui livra le héros germain Arminn (Arminius) dans la forêt de Teutoburg ».

# CVR POPVLVS PRASINVS HABEAT DVCES CIRCVMACENTIA DELENTES

– *narrat Ollius Tammilehto, <sup>1</sup> in Latinum vertit Samius Jansson* –

**H**aud pauca investigationes monstrant cives non assentiri valoribus eisdem ac duces eorum. Exemplum hic sumamus ad Finniam attinens. Juhō Rahkonen, moderator societatis actionariæ « Taloustutkimus Oy », id est, « Investigatio œconomica Soc. act. », scripsit a.d. VI Id. Sept. 2009 in actis diurnis « Helsingin Sanomat » de paradoxo mirabili : pars maxima Finnorum assentitur valoribus sinistris. Investigationes mandatu legatorum publicorum vitæ œconomicae Finnicæ « EVA » (« Elinkeinoelämän valtuuskunta ») peractæ ostendunt populum Finnicum ultimis decenniis proxime præteritis sensim firmius firmiusque sustinere incepisse valores sinistros ac 80 % civium hodie politicæ sinistræ favere. Nihilominus plurimos ex iis, qui potestatem politicam habeant, fautores esse dextrarum partium, et rem publicam Finnicam ipsam hodie dextrorsum inclinare longe magis quam antea.

Rahkonen tamen omittit secundum easdem ipsas investigationes legatorum « EVA » mandatu factas idem paradoxon attinere ad populi opiniones œcologicas. Maximam enim partem Finnorum iam a decennio 1980 credere opinionibus, quæ in publico existimarentur opiniones prasinæ radicales. E. g. plurimos sustinere dictum istud « Si homo hodiernus expetit incrementum œconomicum perpetuum, hac ratione pedetemptim delebuntur circumiacentia naturalia ac postremo ipsi homines. » Præterito anno huic dicto assensus esse 76 % respondentium. Sed maximam partem politicorum favere politicæ longe minus prasinæ quam sinistræ.

Hoc paradoxon Rahkonen vult explicare negans populi opinionum investigationes veritatem de valoribus populi revelare. Hæc negatio dictu est admodum mirabilis, si quidem a moderatore instituti opiniones populi investigantis profertur. Rahkonen vix serio istiusmodi argumenta scribit, nam si explicatio eius acciperetur, institutum ipsum naufragium œconomicum faceret.

Explicatio tamen melior nobis facile proposita est. Quod ad Finniam attinet, clavem ad hanc alternativam explicationem tradunt acta diurna « Helsingin Sanomat », quæ fortissime patefecerunt corruptionem politicam Finnicam. Politicos præter cives ordinarios habere gregem suffragatorum alterum, cuius opiniones assequi eis multo maioris est momenti quam pecus electorum ordinarium auscultare.

In conventibus, quos sodalitates « Lions » et « Rotary » in urbibus Europæ peragunt, in cursibus ad disciplinam moderationis œconomicae attinentibus et in seminariis, in conviviis propomaticis, in receptionibus clientium, in navigationibus, in cameris clusis nego-

tiandi, in villis ruralibus repræsentativis, et vespertinis in conviviis lavandi ubi omnes una sudant, ut Finni solent, in sauna classis superior œconomica docet tirones politicos, quid fieri possit œconomice, quid autem parum possit, et quomodo efficiant, ut res œconomica increscat, et qua ratione facultas æmulandi nationis nutriatur. Aliter dictu tirones politici docentur, quid commodo sit magnis societatibus commercialibus et argentariis, id est, vitæ œconomicae sive rei publicæ. Et ii, qui facile talia discunt et libenter serviunt commodo istorum, gratia publica remunerari promittuntur ab huius « commodi » fautoribus, id est, in omnibus fere instrumentis maioribus communicatoriis rei publicæ.

Quoddam tamen impedimentum obstat quominus huius electionis optimatum in antecessum peractæ suffragia confirmentur. Nam utilitatis fautores requirunt immensam multitudinem suffragiorum in electionibus communalibus et rei publicæ. Quod admodum difficile fieri potest, cum optimates in initio sæculi vicesimi inconsulte suffragium concesserint etiam necioquibus rusticis hebetibus.

Feliciter quidem iam post primum bellum mundanum exstitit vir quidam ingeniosus, qui optimatibus summum in discrimen pessime delapsis succurrit. Hic erat Sigismundi Freudii nepos Eduardus Bernays, qui invenit, quomodo suffragium populi commune aboleatur. Bernays avunculi theorias usurpavit easque ipsas adhibere incepit ad mentes vulgi pertractandas. Sic excogitavit hodiernam pervulgationem commendaticiam, quæ profunda in subconscientia hominis affigit novas notiones ad quamcumque rem vel mercem. Itaque efficax curatoria <sup>2</sup> præconiorum hodie non nescit involucre implicare quamcumque factionem vel candidatum prasino vel sinistro tam idoneo, ut feliciter vendi possit multitudini suffragatorum.

Propagandæ autem ambitio felix sine magna pecunia haud longe succedit. Et pecuniam sine ullo dubio habent optimates œconomici, qui libenter sumptus solvent, ubi serviendum est commodo rei publicæ totius, quod ipsi nimirum definiverunt. Hac ratione optimatum electionis in antecessum peractæ suffragia confirmantur absque ullo discrimine inopinato.

Quid usui est istiusmodi spectaculum democraticum? Nonne dumtaxat sincerius esset restituere ordinem sæculorum aureorum antiquum, ubi optimates directe inter se elegerunt duces ad vulgus dominandum? Constat autem præstrigias imperii ficti popularis utilissimam rationem esse ei, qui sibi audacter persequitur licentiam politicam imperandi modum longe transeuntem.

Parum refert, quamvis politici rem publicam curent secundum consilia, quibus contradicit multitudo vulgi, quæ manifesto adversaria stant contra populi commoda, et quæ periculum inferunt, ne « sensim circumiacentia naturalia deleantur ac postremo ipsi homines ». Culpa enim in suffragatores confertur : « Quid nos elegistis ! »

EPILOGUS A SAMIO JANSSON

Hervé Kempf scribit in suo opere *Quomodo opulentes destruant planetam nostrum*<sup>3</sup> opulentes hodiernos esse classem prædatricem et cupidam, oligarchiam cæcam, quæ nullum habeat institutum vitæ nullosque fines ideales. Verum, aristocratiam mediævalem, quamvis opulentissima esset, ecclesias cathedrales Gothicas construxisse, et XIX sæculi classem burgensium, quamvis abuteretur proletariis, tamen voluisse propagare libertatem et humanitatem. Kempf monet classem opulentem hodiernam nihil aliud sibi velle quam lucrum. Opulentes hodierni plane nulli alii rei operam dant præter hedonismum, ut Kempf dicit : « Ideologia capitalistica nescit nisi autocelebrare. » Ita divites navigant

scaphis suis luxuriosis, circumvolant privatis suis aeroplanis, possident villas maximas rure procul a periculis vitæ urbanæ etc. Et biosphæra deletur, vitæ condiciones futurarum generationum in orcum œcologicum depravantur. *Hæc sunt atque aliæ multæ in magnis dotibus incommoditates sumptusque intolerabiles.*<sup>4</sup> ❧

---

1. Ollius Tammilehto est philosophus Finnus, qui de rebus politicis ad circumiacentia attinentibus divulgat symbolas et libros. Vide eius sedem interretialem : <http://www.tammilehto.info/english.htm>

2. Curatoria i.e. officina : Tuomo Pekkanen & Reijo Pitkäranta : *Nykylatinan sanakirja suomi-latina-suomi – Lexicon hodiernæ Latinitatis finno-latino-finnicum*, p. 85. Suomalaisen kirjallisuuden seura - Societas litterarum Finnicarum, Helsinki 2006.

3. *Comment les riches détruisent la planète*, 73-4, Éditions du Seuil, Paris 2007.

4. Plauti *Aulularia*, 532-3.

## DVABVS SEDERE SELLIS

adagium 602

# DE ROMANO IMPERIO ORIENTALI (VI) OCCIDENTIS DESIDERIVM

– scripsit Gaius Licoppe –

Prosperum Anastasii (491-518) regnum sextum sæculum incohat. Quamquam Imperii administratio modum Romanum servat, imperatoris potestas magis magisque fit absoluta, instar monarchiarum orientalium ; insuper, ab anno 450, cærimonia imperatoris consecrationis ei præstantiam confert unctionis sanctæ et investituræ divinæ.

Iam tempore summæ Imperii Romani potestatis, hellenismus in parte orientali vigere perrexit. In magnis prosperisque urbibus, Alexandria, Antiochia, Epheso et aliis, florent artes et litteræ Græcæ. Paulatim autem in artibus apparent colores orientales, quos insinuant frequentes cum Persis contactus ; cum eis enim bella sunt fere continua.

Anastasio vita functo, Flavius Iustinus (518-527), comes excubitorum, obscuro quodam consilio a senatu imperator eligitur. Qui vir Thraco-Romanus ex Illyria oriundus, i.e. ex ea Imperii parte, ubi sermo communis est Latinus, <sup>1</sup> vix scit Græce loqui ; rusticus incul-tusque septuaginta iam annos natus est, cum imperator eligitur ; rerum publicarum nullam habet experientiam, sed adiuvatur a nepote filioque adoptivo Iustiniano, quocum anno 527 paulo ante mortem Imperium consociat.

Iustinus I, oriundus e regione ubi prævalet auctoritas papæ Romani, finem schismatis statim facere vult. Sic fit ut iam anno 519 compromissum faciat cum papa Hormisda, cui subscripserunt patriarcha Constantinopolitanus et plerique episcopi Græci ; eius præcipua præscripta sunt hæc : aliqua auctoritas in Ecclesia tribuitur Imperatori, sed in toto imperio auctoritate prævalet papa Romanus ; Iustinus agnoscit patriarcham Acacium merito excommunicatum esse, sed invicem patriarcha Constantinopolitanus fit vicarius papæ Romani pro toto Oriente.

Ut orthodoxis morem gerat, Iustinus monophysitas persequitur. Suadente Iustiniano, qui de suis futuris inceptis iam cogitat, arianos quoque persequitur, ut Itali a Theodorico, ariano rege, secedant. Quo facto valde irascitur Theodorico, qui novum papam Iohannem I (523-526) anno 525 mittit Constantinopolin, ut Iustino suadeat ne arianos iam persequatur. Hic est primus papa Romanus, qui Constantinopolin adeat ; magnifice recipitur a Iustino, qui sic ostendere vult quanti faciat papatum Romanum. Idem tamen arianorum persecutionis finem non facit, quare cum Iohannes I in Italiam redit, in carcerem conicitur et a Theodorico tam male tractatur, ut mox pereat.

Flavius Petrus Sabbatus Iustinianus (527-565), cum iam quadraginta quinque annos natus regni habenas obtinet, optime paratus est ad gubernandum.

Vegetarius est nec vinum bibit ; Venerem tamen non despicit ; Theodora enim, viginti circiter annos nata, Iustiniani fit amica. Pauca, quæ de huius feminæ ortu scimus, præsertim leguntur in Procopii Cæsariensis opere post eius mortem edito, c.t. *Historia arcana* ; ille autem vir sub finem vitæ iam neque Iustinianum, neque Theodoram magni æstimabat ; quare narrationem fictis factis videtur sparsisse, quo magis attractiva fieret.

Theodora, Cypri (in insula Veneris !) nata, cum humili familia Constantinopolin migravit, ubi pater factus est ursorum domitor in hippodromo, mater saltatrix et actrix in theatro. Scire oportet sexto sæculo non tragædias neque comædias clarorum auctorum agi, sed mimos vel minores comædias ioculares et impudicas. Patre nimis mature mortuo, tres filiæ pueritiam miserabilem impudicatamque habuerunt. Mater egestosa a factionibus petivit auxilium, quod sola Veneta præbuit ; hoc Theodora imperatrix facta non oblita est, quæ factioni Venetæ favere non desiit.

Apud theatrum tunc vix præbebantur honestæ occupationes. Sic factum est ut Comito, filia maior natu, et postea Theodora fierent meretrices ; quæ etiam partes agebat in scænis obscenis magno cum plausu. Quotiescumque ingravescebat, abortum voluntarium faciebat ; cum res non fieret secundum præcepta medicinæ hodiernæ, non mirum est quod, sterilis facta, nullam progeniem cum Iustiniano habuit.

Quomodo Iustinianus eam invenerit, manet in dubio. Procopius de hac re nihil dicit ; secundum alios fontes internuntius fuit quidam saltator, Macedonia nomine, qui erat unus ex Iustiniani speculatoribus, cum is esset magister militum. Iustinianus, statim



*Imperatrix Theodora cum pedisequis, ex opere musivo basilicæ sancti Vitalis, Ravennæ (Revue archéologique, 1850).*

amore captus, eam extulit in ordinem patricium, quod tamen non suffecit cum postea eam uxorem ducere voluit; veteri enim lege vetabatur virum ordinis senatorii saltatricem ducere uxorem. Itaque ab imperatore Iustino petivit ut lex mutaretur. Nova lege, quæ postea inscripta est in Corpore Iuris Civilis, iam non impediebatur quin senatorius attricem aut etiam meretricem uxorem duceret; vice versa licebat mulieri ordinis senatorii viro inferioris conditionis nubere.

Die 4 m. Aprilis a. 527 Iustinianus coronatur Augustus, Theodora Augusta; uterque habenas tenent ac nonnullis occasionibus Theodora maiorem virtutem ostendit, quam ipse Iustinianus, sicut in seditione « Nika » vocata. Tumultus sæpius eveniunt in hippodromo cum habentur curruum certamina. Aurigarum studiosi dividuntur in quattuor factiones, quæ sunt Russati et Albati, minoris momenti, Prasini et Veneti, maioris momenti. Hæ factiones non solum certamina curant, sed etiam propriam habent opinionem politicam necnon religiosam; insuper fovent latrocinia, quæ in urbe et præsertim in hippodromo sæviunt, eodem fere modo ac *hooligans* nostra ætate in pedifollii certaminibus.

Evenit ut post aliquam latrociniorum letalem rixam nonnulli scelesti comprehenderentur suspendendi. Pertinebant autem ad potentes factiones Prasinorum et Venetorum, quæ hac occasione pacem inter se fecerunt imperatorem laccessituræ; insuper populus querebatur vectigalia valde aucta. Præterea factiones instigabantur a nonnullis optimatum familiis, quæ censebant sibi magis quam Iustiniano esse ius regnandi.

In proximo curruum certamine mense Ianuario anni 532 habito, hippodromus refertissimus est irata plebe, quæ iam ab initio imperatorem insectatur. Ad vicesimum secundum certamen generalis clamor est « Nika » (« vince ») atque plebs Sacrum Palatium oppugnare incipit. Multa incendia oriuntur; inter ædificia deleta numeratur ecclesia sanctæ Sophiæ, prope Palatium sita. Rebelles exostulant ut præfectus Iohannes Cappadocius, qui vectigalia curat, et quæstor Tribonius, qui novum legum codicem conficit, se magistratu abdicent.

Dum Palatium quinque dies obsidetur, nonnulli senatores novum imperatorem eligunt, Hypatium, præcedentis imperatoris Anastasii I nepotem. Ab omni spe derelictus, Iustinianus aufugere vult, at Theodora negat, dicens, ut fama fert: « Diem videre nolo, quo ut imperatrix iam non saluter! ». Novo consilio capto, Narses, eunuchus apud plebem graciosus, mittitur in hippodromum cum magna auri copia; Venetorum factionem solus statim petit et, dum aurum distribuit, rectores commonefacit beneficiorum Iustiniani, qui



*Iustinianus (basilica sancti Vitalis, Ravennæ – imago plena ostenditur p. 14).*

æque ac Theodora eis semper favit; addit Hypatium, quem senatores nunc coronant, ad Prasinorum factionem pertinere. Quibus auditis (et acceptis!), post brevem inter se colloquutionem Veneti ex hippodromo exeunt, relictis Prasinis obstupefactis. Tunc superveniunt mandatæ copiæ, ducibus Belisario et Mundo; irrumpunt in hippodromum, ubi circiter triginta milia rebellium trucidant. Hypatius quoque necatur. Sic pax publica in longum tempus restituitur.

Theodora mihi videtur ob extraordinarium fatum fusa narratione digna. Non solum faciem pulchram, corpus gracile, cutem coloris suavis oculosque flagrantem habebat, ut scribit Procopius, sed etiam nullius viri intelligentia eius menti par erat, ut scribit æqualis Iohannes Laurentius Lydus. Totius historiæ Imperii Orientalis fuit imperatrix maximi ponderis in rebus gerendis; sola quoque fuit, quæ eandem ac imperatoris cærimoniam salutationis sibi poposcit.

Theodora, cum imperatrix facta esset, non oblita est suam humilem originem, miserabilem pueritiam nec incommoda conditionis femininæ; res eo magis admiranda, quod rara est. Non solum leges mutandas curavit, ut tollerentur sæpimenta iuridica inter pauperes et locupletiores, humiles et nobiles, sed feminarum conditionem ita mutavit, ut eæ in toto Imperio Orientali statuto iuridico fruerentur multo meliore, quam feminæ in ceteris regionibus Orientis necnon Europæ. Merito habetur ut prima feministarum.

Ecce nonnulla exempla: is, qui feminam constupravit nolentem, etiam si est serva, capite damnatur; non licet uxorem dote carentem repudiare; attrici licet scænam relinquere, etiam si contractum panxit. Theodora lupanaria clausit, meretrices a lenonibus redimens; pro singulis dabat usque 5 solidos; monasterium, c.n. Metanoia (pænitentia), in ripa Asiatica Bosphori condidit, ad meretrices accipiendas et novæ vitæ aptandas. Agenda curavit feminarum iura in divortio, in bonorum possessione et in puerorum custodia; vetitum quoque est adulteram capite damnari. Etiam post

Theodoræ mortem feminarum condicio Iustiniano fuit curæ ; effecit, inter alia, ut noxiæ mulieres in feminarum monasterio custodirentur, potius quam in carcere, ubi custodes eis abuti possent.

Theodora, cancro affecta, diem supremum obiit a. 548, nondum quinquaginta annos nata.

Ut compluries supra demonstratum est, unitatis imperii Romani imperatores numquam obliti sunt. Quinto tamen sæculo imperator Constantinopolitanus ab Occidentalibus iam habetur ut aliquatenus extraneus, ut patet e verbis Sidonii Apollinaris in epistula anno 469 scripta : « Hæc ad regem Gothorum charta videbatur emitti, pacem cum Græco imperatore dissuadens... » (Sid., *Ep.*, I, 7 ad Vicentium).

Iustinianus, e Latina Imperii parte oriundus, non vult tantum esse « Græcus imperator », sed somniat de Imperio ad integrum restituendo : quanta moles ! Cum anno 527 eius regnum incohatur, Persæ, hostes sempiterni, bellum paulo ante iterum susceperunt, quare optimus exercitus in Asia hæret ad eos repellendos. Ad eum liberandum, Iustinianus anno 532 cum Persis invictis et eo magis timendis pacem tamen facit, multis concessis rebus. Seditioe « Nika » eodem anno compressa, Iustiniano tandem licet ad propositum occidentale se convertere.


Populi ægre ferunt barbarorum arianorum dominationem atque optant imperialis administrationis restitutionem. Prima aggrediendi occasio datur in Africa, cum ibi Gelimer regno potitus sit illicite. Anno 533 Belisarius in Africam exponit exercitum decem milium militum et iam postero die Carthagine potitur ; deinde Gelimerum celeriter profligat et capit. Quindecim anni postea necessarii sunt ad totam Africam septentrionalem in Imperii dicionem redigendam.

In Italia Theodoricus regnum prosperum creavit, sed post eius mortem (a. 526) regimen fit debile ; eius enim filia Amalasantha, cuius maritus vita mature functus est, regnat dum crescit filiulus Athalaricus. Iuvenis vidua cum sit, Theodoto nubit, qui regno potiri cupiens, eam postero anno strangulandam curat (534). Hanc occasionem capit Iustinianus ad Ostrogothorum regnum aggrediendum ; Mundus exercitum ducit in Illyricum, dum Belisarius, classe vectus, exercitum in Siciliam exponit ; qua capta, Neapolis et Roma celeriter expugnantur. Interea Ostrogothi, loco Theodoti, Vitigem, multo magis pugnacem, regem elegerunt. Is Belisarium integrum annum (537-538) Romæ obsidet, qui liberatur classe per Tiberim cum subsidiis allata. Liberatus Belisarius Vitigem persequitur eumque Ravennæ capit (540). Dum hic victus ad pedes Iustiniani ducitur, Belisarius in Asiam properat ad repellendos Persas iterum invadentes.

Tranquillitas autem Italiæ non est longa. Ostrogothi novum regem elegerunt Totilam, fortem et callidum, qui bellum renovat et tota Italia potitur. In Italiam iterum missus, sed cum nimis paucis copiis, Belisarius intra quattuor annos (544-548) Totilam vincere non valet. Ei succedit Narses, tunc 74 annos natus, qui cum maiore exercitu intra tres annos (552-555) Ostrogothorum potentiam delet ; Totila in prælio necatur. Ad summam, viginti anni necessarii fuerunt ut Italia in Imperii dicionem redigeretur.

Iustinianus, qui etiam Hispaniam recuperare vult, occasionem capit contentionis duorum petitorum de regno ; eorum alter, Athanagild nomine, auxilium a Iustiniano petit, quo æmulum Agilam vincere valet ; invicem anno 552 Iustiniano dantur Bætica et insulæ Baleares, quæ adduntur exarchatui Carthaginensi.

Totum fere litus maris Mediterranei iterum est in Romanorum dicione atque maiestas Imperii restituitur ; in Gallia successores Clodovechi, qui ut Francorum rex ab imperatore Zenone agnitus est, sunt, certe tantum verbo, Imperii vassali. In recuperatis Occidentalibus regionibus administratio talis est, qualis erat ante barbarorum invasiones, ut incolæ bene percipiunt Imperium esse restitutum. Bellorum calamitates levantur ac multæ arces ex-



*Imperium Romanum, quale Iustinianus restituit.*

struuntur ad novos fines tuendos.

Iustinianus etiam de legibus curat ; quæ cum obscuræ sint, iustitia est arbitraria et iniqua. Quare quaesitori Triboniano mandat ut codicem legum certarum irrefutabiliumque conficiat ; collegio decem iurisperitorum anno 528 constituto, leges a tempore imperatoris Hadriani datæ examinantur et servandæ seliguntur ; sic anno 529 in lucem editur Codex Iustinianus. Notandum est hunc codicem Latine conscriptum esse ; ipse Tribonianus, qui natus est in Pamphylia, i.e. ad litus meridianum Asiæ Minoris, ubi lingua Græca certe magis in usu erat quam Latina, linguam Latinam verisimiliter addiscere debuit.

Anno 530 Tribonianus novo collegio præest, quod decreta de operibus magnorum iurisconsultorum secundi et tertii sæculi deprompta colligit atque ordinat ; hoc maximum opus, Digesta et Pandectæ vocatum, perficitur anno 533. Enchiridion, Instituta vocatum, conficitur, quo alumnis præbeatur summa principiorum novi iuris. Denique collectanea Iustiniani decretorum inter 534 et 565 datorum complent hoc ingens monumentum, quod Corpus Iuris Civilis vocatur et fundamentum institutionis fit in renovatis iuris scholis Constantinopoli, Romæ et Beryti.

Artes quoque florent ; prima ætas aurea Imperii Orientalis a Iustiniano incohatur. Optimi scriptores historicique, ut Procopius Cæsariensis (e Palæstina Prima oriundus), Agathias Scholasticus (in Asia Minore natus), Iohannes Ephesius (Amidæ natus), et poetæ, ut Paulus Silentiarius (Constantinopolitanus) et Romanos Melodos (Edessæ in Syria natus), litteras

Græcas classicas locupletant.

Iustinianus libenter solet ædificare. Optimi architecti artificesque, quibus præbet opes infinitas, scientiis, audacia et magnificentia utentes Byzantinam ædificandi artem ducunt ad fastigium insuperatum. Adhuc admirari licet nonnulla illius ætatis monumenta, basilicas, ut basilicam novam Sancti Apollinaris Ravennæ, basilicam Sancti Demetrii Thessalonicæ, ecclesias polygonias, ut ecclesia Sancti Sergii et Bacchi Constantinopoli aut Sancti Vitalis Ravennæ et supremum miraculum, Sanctam Sophiam Constantinopoli. ❖




A sinistris : Iustinianus (Constantinopoli in ecclesia sanctæ Sophiæ).

1. Cf. *Melissa* 128, p. 12 : « De Latinitate Orientali (III) ».





## DE NOVIS LIBRIS



A. E. Radke, *Cantica spiritualia. Geistliche Lieder, Ökumenische Kirchenlieder in lateinischer Übersetzung, Melodien gesetzt von W. Czapiewski*, Oberhausen, Verlag Karl Maria Laufen, 2009, 115 p.

Decem iam annos in urbe *Oberhausen* doctor Vinfridus Czapiewski lectiones instituit, quibus Thomæ Aquinatis Summam Theologiæ explicare solet, Latine scilicet. Corona, quæ his occasionibus de quæstionibus philosophicis theologicisque disputat et meditatur, ante singulas sessiones canticum cantare solet ab Anna Elissa Radke allatum : sive ab ipsa exaratum, sive in Latinum translatum ex aliis auctoribus, qui variis sæculis, i.e. XVI-XX, pia carmina panxerunt. Lectores, qui hymnos libenter cantant, gaudebunt et de arte poetriæ et de lautis melodiis et de libri forma, clara, magna et manui apta in cantu communi.

Liceat hic canticum proponere ab ipsa auctrice patrum, quod insuper pulchre alludit ad doctas lectiones supra memoratas – musicam autem in ipso libro invenies, bone lector !

Verum cogitare,  
falsum expurgare  
nos docebis,  
Thoma care !  
Veritas, nos ducas  
ad Deum æternum  
neque in infernum !

Neminem fallamus  
nec decipiamus  
veritatem defendamus !  
Veritas, nos ducas  
ad Deum æternum  
neque in infernum ! (p. 59)

ISBN 978-3-87468-242-8

G. Lieberg, *Epilogus vel Retractatio – Quo consilio Cæsar Bellum Gallicum ediderit, quæritur*.

Quæstione, num Cæsar ipse *Bellum Gallicum* ediderit, denuo perpensa puto eum ita re vera fecisse. Ad id inducor comparatione exacta Hirtii præfationis cum *Bruti* loco Ciceronis (262). Hirtius enim, ut dixi, contendit « commentarii Cæsaris editi sunt, ne scientia tantarum rerum scriptoribus deesset ». In *Bruto* Cicero de Cæsare affirmat « voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam », id est scriptores. Si hi tantum editione *Belli Gallici* scientiam huius belli adipisci potuerunt et Cæsar id effecit curans ea paranda, e quibus hanc scientiam sumerent, participium « parata » solum ad editionem ab eo apparatus pertinere potest. <sup>1</sup> Nam solum hanc editionem legentes scriptores paratam habebant scientiam belli Gallici.

Exemplaria autem editionis solis scriptoribus, non igitur ad usum communem, confecta pauca fuisse habenda sunt. Rebus sic stantibus communi opinioni adsentire non possum, quam Matthias Gelzer apud Schönberger (p. 666) <sup>2</sup> his verbis comprehendit : « Adversarios Cæsar ex eo », id est e *Bello Gallico*, « intellegere voluit, quam omni spe destituti virum tantis facultatibus et opibus præditum re publica administranda depellere vellent. » Sed Commentariis de bello Gallico eis non opus erat. Bellum enim ipsum satis bene iam noverant.

Cæsaris autem opus præconium erat, quo vir præclarus vere Romanus rerum scriptores historiam ornatam conscribentes tantas suas res laudibus extollere voluit. Id Sallustius (*Cat.* 54, 4) declarat dicens « Cæsar in Gallia bellum novum exoptabat, ubi virtus enitescere posset », et Suetonius (*Iul.* 22, 1) confirmat referens « Cæsar Gallias provincias potissimum elegit, quæ sibi <sup>3</sup>... idonea sit materia triumphorum », nempe quibus gloriam maximam consequeretur.

Cæsar in Gallia non solum suæ gloriæ iam satisfecisse, sed imprimis gloriæ rei publicæ bello Gallico ad finem adducendo satisfacere velle a Cicerone (*Pro cons.* 14, 35) dicitur. Ita enim, inquit, bellum a Cæsare non solum profligatum est, sed etiam conficietur.

Scriptores autem, qui historiam conficerent, non exstiterunt. Ornato enim Cæsaris opus non egebat, quia, ut Hirtius notat, « erat autem in Cæsare... facultas atque elegantia summa scribendi ».

Sin autem Cæsar ad verbum hic a Cicerone citatus participio « parata » manuscriptum suum *Commentariorum* significat, quod publicare voluerat, sed nescio qua causa non edidit, ante Hirtii editionem Cæsaris operum, fortasse numquam editam, etiamsi cogitatam, editio anonyma divulgata est, ad quam Hirtius referri videtur in præfatione octavi libri scribens : Commentarii Cæsaris<sup>4</sup> « sunt editi, ne scientia tantarum rerum scriptoribus deesset ». Constructione passiva usus Hirtius non Cæsarem *Bellum Gallicum* edidisse, sed id ab aliis editum esse legentes leviter monere vult. Editores anonymos nominare nullius momenti esse habuit. De editione anonyma, non de editione sua ipsius, Hirtius hic cogitat, quia pergit scribere : Hi commentarii, id est « rerum gestarum Galliae », ut supra dicit, « adeo probantur omnium iudicio, ut prærepta, non præbita facultas scriptoribus videatur ». Si enim de editione agitur, quæ iam ab omnibus probatur, non esse potest ea, quam Hirtius in

præfatione tum cum maxime confectam declarat. Editio autem ab omnibus probata antea facta et iam aliquamdiu nota existimanda est.

Editores ignoti ita, si fuerunt, fecerunt, ut retractatio rhetorica fieri posset, quam Cæsarem effici velle sciebant. Nam editione facta textus Cæsaris præsto erat et ab aliquo rerum scriptore exornari poterat. Ergo Cæsarem ipsum editionem *Belli Gallici* curavisse in dubio ponendum vel saltem incertum est.

Tota commentatio quinque euronis venit a scriptore Prof. Godo Lieberg, Cranachstr. 14a, D-44795 Bochum. Ea est pace vestra Theodisce scripta. G.L.

---

1. Absurdum est cogitare paratum non fuisse nisi librum manu scriptum Cæsaris, quem ipse paratum haberet, non autem scriptores, dicti alii, haberent.

2. O. Schönberger, *Cæsar : Der gallische Krieg*, Darmstadii 1994.

3. Coniectura a Kiessling proposita utor.

4. Ad verbum... « horum elegantia commentariorum qui... » legitur.

---

## IN MARIA ARENA IACTA

– scripsit Alanus Van Dievoet –

**I**llud famosum adagium « in maria arena iacta », diverse interpretatur, eius sensus etenim nonnullis ambiguus esse videtur.

Secundum multos, his verbis significatur opus inutile factum, quid enim inutilius quam arenam in maria iacere, in quibus quantitas arenæ est infinita.

Secundum alios, hæc verba attinent ad opera facienda quorum pretium est tam ingens ut tota pecunia populi in oceanum immensum dispereat, hic quoque taxatur vafritia tyrannorum qui tali sueta ratione sugunt omnes opes plebeculæ, illusionem præbentes laboris ad utilitatem publicam exanclati.

Alii volunt his voculis describatur munus hodie-

rum ludimagistrorum quippe qui ante maria discipulorum indoctissimorum et indocilium nihil aliud faciant quam verba inutilia et non audita proferre, velut si sint arena in maria iacta.

Secundum ceteram opinionem hæc verba significant, revenire ad humilem locum e quo aliquis profectus est, hoc pertinet ad homines stultos, superbos et arrogantes qui post errores factos eo redire coguntur unde veniunt.

Ut videmus, multos sensus hæc verba « in maria arena iacta » habent, et ut magis perspicue appareat eius significatio, proponam ut de hac sententia in omnibus scholis excogitetur. ❧



# *In hoc fasciculo !*

- Originalis peccati genetica explicatio* [G. Licoppe] p. 1  
*Nox Natalicia* [G. de Maupassant - F. Deraedt] p. 4  
*Arminii victoria, clades cultus civilis?* [G. Licoppe] p. 6  
*Cur populus prasinus habeat duces circumiacentia delentes* [S. Jansson] p. 9  
*De Romano imperio orientali (VI)* [G. Licoppe] p. 11  
*Bibliotheca Latina* p. 15  
*In maria arena iacta* [A. Van Dievoet] p. 16

*Imago tegumenti : Udalricus de Hutten (1488-1523) in : J.J. Boissard, Bibliotheca  
chalcographica, Heidelbergæ 1669.*

---

## INSTITVTIO LINGVÆ LATINÆ

a Melissa præbetur omni Mercurii die ab hora 18 ad horam 19.30. Lectiones  
incohantur mense Octobri.

Si quis plura scire cupit : tel. + 32 (0) 475.47.55.18, g.licoppe@skynet.be



MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.  
Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$  
Banque ING : 310-0644994-30,  
Bic BBRUBEBB, IBAN BE15 3100 6449 9430

